



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Lingva Avrea Christianorvm**

**Ruben, Leonhard**

**Padibornae, 1606**

Capvt 35. Militibus & mulieribus conuenit silentium.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)



illius disputationibus experiri coepisset, deprehendens quorsum eius tenderet silentium; Bos ille mutus, inquit, talem mox edet mugitum, ut sonum eius totus admiraturus sit mundus. Et cum omnium doctissimus euasisset, tunc sanè apparuit, quantum docilis taciturnitas, vanæ & arroganti loquacitati, esset præferenda.

Octauò, de Rudolpho Benedictino, Monasterij Affliginien-  
sis, diximus cap. 24. num. 2.

### CAPVT XXXV.

*Militibus & mulieribus conuenit silen-  
tium.*

**P**Rimò, conuenit militibus ut  
arcanorum & secretorum sint  
tenaces. Sic Antigonus rex Mace-  
donum filio Philippo multis præ-  
sentibus percontanti ac dicenti:  
Quando castra mouebimus? Quid?  
inquit, num metuis, ne solus tur-  
bam non audias? Sic cuidam Tri-

buno



buno militum ex iunioribus percontanti, Luc. Cæcilium Metellum, quid esset factururus. Si eius rei, inquit, scirem nisi tunicam esse consciam, exutam in ignem coniecissem.

Secundò, quòd mulieribus còueniat, id respondet auctoritati S. Pauli Apostoli, dicentis, 1. Cor. 14. 34. 35. *Mulieros in Ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Genesis scilicet 3. 16. Si quid autem voluerint discere domi viros suos interrogent.* Ergò ne quidem permittit illis D. Paulus, vt vel discendi gratia loquantur in Ecclesia. *Turpe enim est mulieri loqui in Ecclesia.* Ità vt D. Hieronymus in epistola ad Paulinum Præsbyterum de diuinæ scripturæ libris meritò conqueratur: primò, quòd garrula anus sacram scripturam doceat, antequàm discat. Secundò, quòd, prò pudor, alij



discant à fœminis quòd viros doceant; cùm quasi vbiq; illis D. Paulus silentium indicat. 1. Tim. 2. 11. 12. 13. 14. *Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neq; dominari in virum: sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eva: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in prauaricatione fuit.*

D. Hieronymus ad Celandrù scribens. Sit intentus, ait, ac vigilans & aduersus peccata semper armatus animus tuus, sermo in omnibus moderatus & parcus, & qui necessitatem magis loquendi indicet, quàm voluntatem. Hæc ille. Quam doctrinam minus affectus fuisse duorum pientissimorum virorum Iob & Tobie garrulas vxores satis patet ex Iob 2. 9. & Tob. 2. 21, quæ meritò stultæ vocantur. Vide suprâ capit. 9. numer. 3. & cap. 20. num. 2.

*Vxores  
Iob &  
Tobie  
garrulae.*